





1. Rus / Joh. Reich. / diff. de serpente le  
ductore non naturali / 1712.
2. — diff. de Lario / Moisi in Montem Sinai  
ascensu / 1716.
3. — diff. de iudea rebus gestis et  
miraculis Christi / Clara / 1733.
4. — diff. de veris spectaculis Iesu Christi  
requisitis / 1733.
5. Rur Meyer / S. Mich. Christ. / diff. de Ara  
ne, viro sancto tribus Lcovi, typis  
Christi / Gryphius / 1738.
6. Sauerbräu / Joh. / diff. de Deo uno et  
trino / 1648.
7. Schaeffer / Joh. / diff. de septem spiritu  
tibus a Joh. Theologo celebratis  
Lippsia / 1736.
8. Schelzuij / Sam. / diff. de dono fidei  
justificatiis, 1734.

*Q. D. B. V!*

**RELIGIO EVANGELICA  
MAXIME EST UTILIS  
ET SALUTARIS,**

ID QUOD  
DISSERTATIONE THEOLOGICA  
SUB PRÆSIDIO

**DN. D. JOHANNIS SCHMIDI P.P.**  
CONSISTORII ELECTORÁLIS ET DUCALIS ASSESSORIS,  
ALUMNORUM ELECTORAL. EPHORI, COLLEGII B. MARIAE  
VIRGINIS PRÆPOSITI, ACADEMIÆ DECEMUÍRI,  
EJUSDEMQUE UT ET NATIONIS PO-  
LONICÆ SENIORIS,

PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS  
SUBMISSO VENERATIONIS CULTU  
ÆTATEM PRÓSEQUENDI

IN ALMA LIPSIENSIVM ACADEMIA  
DIE XV. OCTOBR. A.R.S. MDCCXXVI.  
ASSERTUM IBIT

A U T O R  
**DAVID BENJAMIN BRESKOTT,**  
BEROLST. SIL. SS. THEOL. CULT.

---

L I P S I A E,  
LITERIS BREITKOPFFIANIS.





בִּיהוּ  
PROOEMIUM.



Ui veram Religionem aspernantur homines, eam quoque & facile quidem præcipuum consilii sui rationem alle-gant, quod illam minus utilem; rebusque suis non adeo proficuam esse existi-ment. Neque heri demum vel nudius tertius has tibias inflarunt, qui veræ Religioni offensum fovent animum, sed eandem semper repetierunt cantilenam, in eademque mire conspirarunt. Mosis jam tempore, Populus Israeliticus, ad Idolatriam Ægyptiacam, quam ad verum veri Dei cultum, pronior, nullam se habere opinabatur obsequii toties Deo denegati causam aptiorem, quam si majorem, quam in Idolotria expertus fuerat, vita commodity, rerumque undique affluentium copiam in medium proferret, &, iis se jamjam destitutum esse, querelas funderet *Exod. XVI.3. Num. XI. 4. seq. XX. 45.* Jobus sua ætate ejusmodi vivere narrabat Religionis contemtores, quorum in ore hæc vox satis frequenter versabatur: *Recede, o Deus, a nobis, non enim delectamur præceptorum tuorum notitia. Quid*

A

est

## PROOEMIUM,

est omnipotens? ut cultu eum prosequamur, aut quid lucri  
inde nobis enascetur, si eum invocamus? Job. XXI. 14. 15.  
Jeremiæ actas ejusmodi hominum magnam protulit sege-  
tem, qui ad pœnitentiam agendam a Propheta admoniti,  
ab Idololatria se destituros, verumq; Dei cultum susceptu-  
ros esse, disertis verbis negarunt. Cum enim, inquietabant,  
Idololatriæ eramus dediti, omnium rerum abundavimus copia,  
non deerat nobis cibus, bilares quoque fuimus, nec fortuna  
nobis erat offensa: ex quo vero destinus fideribus adolere, iis-  
demque libamina libare, egestate oppressi, gladio consumpti,  
atque fame extincti sumus. Jer. XLIV. 17. 18. Maleachi eos  
esse querebatur homines, qui publice profiteri non eru-  
bescerent, Dei cultum vanum esse & nullius momenti, nec  
quicquam utilitatis afferre, si quis præcepta Dei servet,  
Deumque timeat, superbos impiosque peccatores longe  
esse feliores habendos, quia multifarium faciant lu-  
crum Mal. III. 14. 15. Doctrinam Evangelicam in Novi Fœ-  
deris periodo ab hac malevolorum criminatione haud su-  
isse vacuam Historia biblica & ecclesiastica testatur. Christi  
enim asserta saluti publica tam inimica proclamabant, Ju-  
dæorum seniores, ut plus vice simplici, de Jesu medio tol-  
lendo confilia caperent, &c, ea fē in salutis publica secu-  
ritatem cepisse, videri vellent. Si enim ejus doctrinæ  
obices non ponerentur, metuebant, fore, ut omnes ean-  
dem, sed summo cum Reipublica detimento, ample-  
ctantur, adeoque venturos, ajebant, esse Romanos, & de-  
leturos & urbes & gentem; quamobrem Reipublica  
interesse censebant, ut, eo sublato, doctrina ejus sopiretur  
& Respublica indemnisi præstaretur Job. XI 47. seqq. Id  
etiam præcipuum accusationis argumentum esse volebant,  
quod primum proferebant & ultimum urgebant, quod  
Christus nimisrum dogmata & foveret, & proponeret  
statui

statui politico noxia & tranquillitati publicæ contraria  
*Luc. XXIII. 2. Job. XVIII. 30. XIX. 12. 15.* Apostolorum  
præconium iisdem proscindebatur convitiis, ut monu-  
mента, quæ Lucas de eorum Actis consignavit, passim te-  
stantur *Act. VI. 13. 14. XVI. 20. seqq. XIX. 25. sqq. XXI. 28.*  
*XXIV. 5. XXV. 6. sqq.* quæ vero enarrare nimis longum  
foret. Nec post Apostolorum decepsum pietatis genui-  
nae hostes doctrinam Christianam hominibus hoc ipso  
argumento invisam reddere desistebant, cuius rei testes  
ex multis aliis præsertim **JUSTINUM MARTYREM**, &  
**Tertullianum** accersere, idque ex eorum, quas pro Chri-  
stianis scripsérunt, *Apologiis* probare possem, si pagel-  
la angustia & instituti ratio illud pérmitteret. Doctrina  
nostra Evangelica, sicuti cum Prophetarum, Christi  
& Apostolorum assertis ad amissim convenit, iisdemque  
solis tota innitur; ita & eadem cum iis fata, hac etiam in  
parte quandoque subire cogitur, ut noxiā eā minusque  
utilem esse & salutarem existiment in transversum acti ho-  
mines. De testimoniis non est, ut simus solliciti, quæ  
experientia larga manu nobis suppeditat. Ast hujus farinx  
homines satis testantur, se Evangelicam Religionem accu-  
ratiōri mentis lance nondum ponderasse. Quodsi enim hoc  
ab iis præstirum fuisset, facile deprehendissent illam neuti-  
quam noxiā esse, sed utilitate non æterna tantum, sed &  
temporali, non spirituali modo, verum & corporali, se se  
commendabilem reddere, eandemque non tantum in suos  
asseclas diffundere, sed ex dogmatibus, quæ sovet, non-  
nulla comoda in ipsos adversarios redundare. Ego igitur  
veritatis amantissimum & Evangelicæ Ecclesiæ obstrictissi-  
mum animum declaratus & quoddam specimen studi-  
orum exhibitus, opera pretium me facturum esse existi-  
mavi, si eam in rem aliquantulum curatius pro virium tenu-

## DE UTILITATE

itate inquirerem, & Religionem Evangelicam maxime utillem & salutarem demonstrarem. Placet vero, ne sine methodo agam, totam tractationem tribus sectionibus includere, inque earum I. utilitatem, cuius omnes participes fieri possunt, qui Religionem Evangelicam sincero pectore sequuntur, in quocunq; demum statu vivant, exponere. In II. de utilitate, qua in Evangelicæ Religionis addictos pleno alveo fluit, quatenus, vel ad statum Politicum, vel Ecclesiasticum, vel Oeconomicum pertinent, speciatim agere. In III. utilitatem, quam a Religione Evangelica alieni sibi nihilominus de eadem promittere possunt, delineare. Conatus nostros Deus fortunet!

## SECTIO I.

DE UTILITATE, QUA OMNES ILLI  
FRUUNTUR, QUI RELIGIONEM EVANGELICAM  
SINCERO PECTORE SEQUUNTUR.

## §. I.

**E**orum utique conditio longe felicissima fit necesse est, quorum doctrina divino prorsus nititur fundamento *Eph. II. 20.* Hac vero doctrinæ stabilitate omnes illi subsistent, qui Religionis Evangelicæ quam alius esse malunt cultores. Hæc nimirum omnia sua vel fidei dogmata, vel morum præcepta, neque arbitrio cuiusdam hominis *Ez. XXIX. 13. Matth. XV. 9. Marc. VII. 7.* neque rationis dictamini *1 Cor. II. 14. 2 Cor. X. 5.* neque novis revelationibus *Luc. XVI. 29. Gal. I. 8.* sed verbo ipsius veracissimi Dei *Matth. X. 20. 2 Pet. I. 21.* eodemque unico *Ez. VIII. 20. Apoc. XXII. 18. 19.* & litteris quidem ad maiorem certitudinem consignato *2 Tim. III. 16.* firmiter inniti profitetur. Huic nostræ Doctrinæ principio assensum prorsus infallibilem præbere jubet,

jubet, quem non ex ratiociniis humanis vult derivatum  
*1 Cor. II. 13.* sed suos cultores convictione ipsius Spiritus  
sancti *1 Cor. II. 4.* *1 Job. V. 6.* adductos atque compulsos,  
adeoque fide divina de Scripturæ sacræ autoritate canonica  
certos esse hortatur. Immo, ut omnis dubitandi rima  
eripiatur hominibus, non solum Scripturæ sacræ sententiam  
*2 Pet. I. 21.* sed etiam ipsa verba, litteras, puncta & apices  
*Pf. XLV. 2. Matth. V. 18. X. 19. Luc. XVI. 17.* a spiritu sancto,  
sacris Dei viris inspiratos esse tradit. Itaque homo  
Evangelica Religioni addictus, de divinitate & certitudine  
Scripturæ sacræ ipsius spiritus sancti testimonio convictus  
est. Nec etiam de perfectione ejusdem & sufficientia sol-  
licitus esse potest, qui eadem firmitate fidei cognoscit,  
verbum Dei scriptum non solum divinam, sed & perfectissimam  
esse credendorum & agendorum normam *Pf. XIX.*  
*5. coll. Rom. X. 18. Gal. VI. 6. Phil. III. 16. 2 Tim. III. 16. 17.*  
ut & que ille grande committat peccatum, qui aliud ipsi ad-  
dit, quam qui aliquid ipsi detrahit. *Deut. XII. 32. Apoc.*  
*XXII. 18. 19.* Multum etiam felicitatis, homini Evangelicam  
Religionem amplexo, inde accedit, quod novit Scripturam sacrā in rebus fidei & vita institutis tam claram,  
tamque perspicuam esse, ut quilibet, qui præjudiciis non  
est fascinatus, verum ejus sensum indagare queat *Pf. XIX.*  
*8. CXIX. 105. Job. V. 39.* nec opus habeat, ut in humana  
interpretatione acquiescat. Quid? quod nostra Religio  
omnibus Scripturam sacrā attente legere, sedulo medi-  
tari, & accurate scrutari, non solum permittat, sed & se-  
riō suadeat, atque imperitis per versiones vernaculae, ubi-  
vis obvias, & facili pretio comparandas, commodasque  
manuductiones adminicula sufficientissima præbeat.  
Quanta autem hujusmodi est felicitas, qui suam doctrinam  
non Ecclœ sancitis, sed verbo divino *1 Thess. II. 13.* subsi-

stere

stere novit, & cuicunque, fundamentum doctrinæ inqui-  
renti, prompte parateque respondere potest? *1 Pet. III. 15.*

§. II.

In puriore Numinis agnitione summam felicitatishu-  
manæ partem sitam esse *Jer. IX. 24. Job. XVII. 3.* Immo  
omnem ferme beatitudinem suum inde petere exordium  
*Sap. XV. 3.* in aprico est positum. Hac felicitate doctrina  
Evangelica est conspicua, ejusdemque suos affectos facit  
participes, quandoquidem tam pure, tam accurate, tam  
perfecte, tam perspicue, & tam reverenter, de Dei essentia,  
personis, attributis, operibus, cultu, beneficiis & deni-  
que voluntate mentem suam exponit nostra Ecclesia, ut  
nulla alia eidem palmam præripere possit. Num enim ma-  
jor notitia Dei veritas & perfectio aut exoptari, aut exo-  
gitari saltem posset, quam quæ ab ipso Deo veracissimo,  
immutabili & sapientissimo suique comprehensore est ho-  
minibus proposita *1 Sam. XV. 29. Rom. XVI. 27. 1 Tim. I. 17.*  
*Hebr. VI. 18. Jas. I. 17.* Nulla vero alia, quam hæc ipsa, in  
cœtibus nostris obtinet. Deum de se ipso testantem sedulo  
attendit fides nostra *Matth. XI. 27. XVI. 17. Job. I. 18.*  
Puritas, sanctitas & justitia tanta Deo attribuitur, ut nullam  
prorsus culpæ & impuritatis speciem in Deum trans-  
ferri patiamur *Ps. V. 5. 1 Job. II. 16.* adeoque nec nos impie-  
tati ulla frena laxemus. Nec est, ut de difficultate hujus  
doctrinæ aliquis apud nos degens conqueratur, dum nullis  
tricis involvitur, nullis argutiis ex nostra post lapsum ratio-  
ne desumbris obscura & obfuscata redditur, sed tam planis  
atque perspicuis verbis hominibus explicatur, ut is quo-  
que, qui hebeti est ingenio, puram tanien & sufficientem  
ejus notitiam sibi comparare possit *Matth. XI. 25. 1 Job. II.*  
*14.* summa etiam reverentia & circumspectione de Deo  
fentire eundemque colere docetur, qui una nobiscum vivit

socie-

societate spirituali conjunctus. Quemadmodum enim notitiam salutarem non nisi oraculis divinitus patefactis adstrictam admittimus; ita & summi Numinis cultum neutquam indifferentem, aut nostro arbitrio relictum, *Num. XV. 39.* sed summe necessarium, & non nisi ex divinis statutis petendum *Matth. XV. 9. 13.* edifferimus, eundemque nemini præter Deum unirrinum *Matth. IV. 10.* & Christum secundum humanam quoque naturam *Phil. II. 10. Hebr. II. 9.* attribuimus, eoque ipso omnem vel Libertinismi, vel Idolatriæ, vel alius, quocunque demum nomine veniat, illiciti cultus suspicionem evitamus, nostræque Religioni addictum, & tam sancta de Deo ejusdemque cultu Doctrinæ imbutum felicitate non exigua beamus.

## §. III.

Morbi agnitionem medicinæ esse initium, AUGUSTINUS jam olim inquietabat, eam igitur, ut homo pristinam recuperet sanitatem, necessariam esse & utilem, nullus, ut opinor, diffitebitur. Deus ipse, miseria peccatorumque agnitionem, tam severe hominibus inculcat, ut misericordiam gratiamque suam nulli, nisi ea prædicto, concedere velit *Jer. III. 13.* eorumque animabus pessime consulatur, qui peccatorum suorum miseriam occultare satagunt *Ps. XXXII. 3.* *Prov. XXIX. X. 13. Jer. II. 33.* Nostra itaque Religio, & miseria fontem primum & ipsam miseriam, homini ingenue indicat. Ne enim miseria sua originem Deo adscribat, eoque ipso justissimam vindicis iram in se derivando, in hanc abyssum profundius dilabatur; Deum omnes omnino homines in Adamo sapientes *Cvl. III. 10. Sanctos Eph. IV. 24. justos Cobel. VII. 30.* & ad vitam æternam *Sap. II. 23.* condidisse, homines vero Diaboli instinctu, & propria culpa a Deo defecisse, adeoque omnes ira divinæ poenæ in se posterosque suos derivasse *Gen. III. Rom. V. 12. 14. 16. sqq.*

con-



constantissime tradit ; &, ne quis se peccatorum eximat numero, vel miseriam suam parvi existimet, atque ea persuasione salutis curam negligat, vel negligenter saltem suscipiat; hanc generis humani corruptionem, omnes omnino subegisse homines, naturæ ordine progenitos, docet *Gen. VI.5. VIII. 21. Job. XIV. 4. Rom. V.12. 14.* & tam profundam esse ostendit *Jes. I.5. 6. Jer. XXX.12.* ut homo cadaveri mortuo comparetur *Eph. II. 15. Col. II. 13.* qui tantum abest, ut propriis viribus, ex hac miseria eluctetur, in vitamque redeat *¶ Cor. II. 14. 2 Cor. III. 5.* ut potius, si id præstare audeat, in majorem ruat perniciem *Pf. XXXII. 3. 4.* & peccatorum cumulum adaugeat. Quo profundiorem itaque miseriam suam esse audit homo, quo periculosior ipfi demonstratur esse ejus conditio, eo majori cura fertur, ut ex ea eruatur, & medicum quærat, suppeditias sibi ferentem, simulque statim animadvertisit nostræ doctrinæ peritus, nullam in se emergendi esse facultatem *Dan. IX. 18. Job. XV. 5.* nec quicquam ab humanis auxiliis sperandum *Jer. XVII. 5.* sed omnem fiduciam, in divinis gratiæ supernaturalis auxiliis residuam esse, adeoque ibidem præsidium tutissimum, certissimum & unicum querendum *Hos. XIII. 9. Jer. XVII. 7. Job. VI. 44.*

## §. IV.

Ea salutem æternam consequendi principia subministrat Religio Evangelica, quæ & immobilia sunt, & sufficiencia, & universalia, in quæ homo, salutis suæ cupidus, tutto spem omnem ponere potest, & ita ab omni dubitationis metu præmunitur, ut ejus hac in parte felicitas sentiri magis, quam verbis satis exprimi possit. Qui enim de paterna Dei in se voluntate anceps hærente posset, & anxium sustentare animum, qui de misericordia Dei Patris *Job. III. 16. Rom. XI. 32.* edocetus, eam prorsus superabundantem, omni ho-

hominum cogitatione sublimiorem, & laude maiorem esse deprædicat, *Rom. V. 20. Eph. II. 7. 1 Tim. 14.* Qui novit, eam universum humanum genus, *Job. III. 16.* ita amplecti, ut neminem penitus perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere, ad veritatis agnitionem venire, & salutem aeternam consequi, velit *1 Tim. II. 4. IV. 10. 2 Pet. III. 9.* Insigni fiduciæ gaudio latatur, se etiam eorum numero esse comprehensum. Omnem sollicitudinem ex animo prorsus evellit Nostra Religio, dum hanc Dei voluntatem seriam *Hebr. VI. 17. 18.* ex intimo corde profectam, *Mattb. XXIII. 37. Luc. XIII. 34.* jurejurando confirmatam, *Ezech. XXXIII. 11.* afferit, eam in se semper efficacem *Act. XVII. 30. 31. Col. I. 23.* docet, omni peccatorum copia longe superiorum & abundantiorum declarat *Rom. V. 20.* & usque ad ultimum hujus vita halitum durantem *Ef. LXV. 2. Thren. III. 22. 23. Hebr. III. 13.* affirmat. Immensa vero & inexhausta hæc Dei patris misericordia, non superstruitur lubrico acceptilationis Sociiana fundamento, sed eam fundatam esse, intelligit Nostra Religionis amator, lytro Redemptionis Jesu Christi perfectissimo *1 Cor. VI. 20. VII. 23. Hebr. IX. 12. 14. 1 Pet. I. 18. 19.* ex ineffabili gratia *Job. XV. 16.* pro omnibus in mundo hominibus *Ef. LIII. 6. Rom. V. 18. 2 Cor. V. 15. 1 Tim. II. 4. 6. 1 Job. II. 2.* pro omnibus eorum delictis *Tit. II. 14. 1 Job. I. 7.* sua obedientia *Pf. XL. 8. 9. activa Mattb. III. 15. V. 17. Rom. V. 18. seqq. VIII. 3. seqq. X. 4. seqq. Gal. IV. 4. 5. & passiva Gal. I. 4. Phil. II. 18.* præstito. Hanc denique misericordiam Dei Patris, & fraternalm Jesu Christi redemptionem, applicatio Spiritus sancti, *Job. XV. 26.* excipit, qua omnes in universum homines, hujus aeterna dilectionis capaces, & redemtionis pretiosissima participes, *Luc. XXIV. 47. Act. XVII. 31. Col. I. 23.*

B

per

per gratiæ divinæ applicatricis gradus, quos Paulus accurata Synoppi recenset *Ad. XXVI.* 18, reddere omne nisu conatur. Qui vero novit, se ab æterno tam intimi esse amatum, suamque salutem tam sollicite procuratam; qui recordatur, se a tanta persona, tanto pretio esse redemptum, & in tantam salutem assertum; qui in mentem sibi revocat, quot gratiæ opera Spiritus sanctus in se convertendo lumbentissime, & summo cum salutis humanæ desiderio subeat; ille tam felix, tam beatus, tamque latus, & hilaris, esse potest, quam qui maxime.

## §. V.

Quam felicitatis suæ ubertatem, in doctrina de salutis principiis, experiebatur Evangelica Ecclesiæ civis, eadem etiam persfruiuntur, si media, quæ æternam Beatiitudinem offerunt nobis & conferunt, considerant. Ea non humana quadam & finita efficacia gaudent, sed divina prorsus virtute inseparabiliter semper conjunguntur, *Job. VI. 63.* *Rom. I. 16.* *Hebr. IV. 12.* *I. 13.* Iis vero si quis utatur mediis, certam omnemque salutem inde sibi promittat necesse est. Nec, an sibi ea adhibere media licet, ambigua mente esse potest, quem non fugit, hæc omnibus, qui in hac universitate cernuntur, hominibus *Ad. XVII. 30.* *31.* neque acceptantibus solum *Job. XVII. 8.* *Luc. VIII. 1.* *Ad. II. 41.* sed etiam respuentibus *Matth. XXIII. 37.* contemnentibus *Ad. XIII. 46.* & summa contumacia resistentibus *Ad. VII. 51.* si non abundanter *Matth. XI. 21.* *Luc. X. 13.* sufficienter tamen, destinata esse & offerri. Ex quo convictus est, se in prima juventute, per Baptismi lavacrum foedus cum Deo iniisse *1 Pet. III. 21.* quod licet ipse illud iterum iterumque ex gratiæ statu lapsus fregerit, tamen quoad Deum firmus semper stet atque sartum, ut semper poenitentia reiterata repeti possit.

fit. Verbum divinum fidem non solum accedit, sed & corroborat, conservat, defendit: utque hæc incrementa capere possit eo majora, servator benignissimus sacras instituit epulas, corpore sanguineque suo conditas, quibus corpus animamque reficit, qua servatoris benignitate major gratia, vel hospitis accedentis præstantior felicitas & beatitudo num reperiri possit, omnino dubito.

## §. VI.

De pœnitentia doctrinam ita proponit Nostra Religio, ut in ejus asseclam plurima inde utilitas redundet. Ne enim quis pœnitentia negotium vile existimet, ejus agendi moras neget, & tempore gratia præterlapsò consilii sui dolore nimis sero tangatur; illud tanti esse pondus opus asserit, ut magna Scripturæ pars, in eo inculcando consumatur; tantæ necessitatis esse monstrat, ut cum præsentissimo æterni exitii periculo intermitte, immo ne differri quidem possit *Pf. XCV. 8. Sir. V. 8. XVIII. 22.* tantæ esse difficultatis ostendit, ut humanae vires atque voluntas nihil quicquam præstare possint, nisi Deus gratia naturæ ordinem superante, voluntatem hominis flectat, viresq; largiatur. *Jer. XXXI. 18. sqq. 1 Cor. VI. 11.* Interim tamen pœnitentiam seriam nunquam nimis seram esse, monemus, adeoque iis, qui multo peccatorum pondere premitur, scelerum vero seria tandem pœnitidine tenentur, amoenissimo solamine succurrimus, eosdemque fiducia in Christum, gratiaque divina certitudine recreatos, ab omni & desperatione & fluctuatione liberamus. Nulla etiam sollicitudine angitur, qui albo Ecclesiæ Evangelicæ inscriptus est, se falsa quadam pœnitentia deceptum iri. Nullas enim alias, nisi quas in primis deprehendimus Parentibus *Gen III. 10. coll. 15.* quas Prophetæ in *V. T. Dan. IX. 15. 18. Pf. LI. Christus Marc. I. 15.* Apostoli *Actor. XX. 21.*

*Hebr. X. 22.* in novo foedere requisiverunt, Religio nostra pœnitentia constituit partes: Dolorem scilicet de omnibus omnino peccatis non solum notis, sed etiam ignotis. *Pſ. XI. 13.* tum originali *Pſ. LI. 7.* tum actualibus *Eſr. IX. 6. 7.* & serium & intensissimum, & quem ipſe Spiritus sanctus *2 Cor. VII. 9. ſqq.* Legis tonitru. *Rom. III. 20. IV. 15. VII. 7.* in hominē operatus est; & fidem in unico eoque sufficientissimo Iesu Christi merito subſiſtentem *Job. III. 16. 36. Aſt. X. 43. XV. II. XVI. 31.* ſuavifimo Evangelii ſolamine *Job. XVII. 8. 9. 17. Rom. X. 17.* per ministerium *2 Cor. V. 18. 20.* excitatam. In his pœnitentiā partibus genuine tradendis, & ferio inculcandis acquiescit Religio Evangelica, nec vero ſuis cultoribus nimis ſollicita & anxia omnium peccatorum enumeratione, aut onerosa poſt culpam remiſſam ſatisfactione, moleſta & gravis eſſe cupit. Quæ hanc pœnitentiam preſſo pede ſequitur, felicitas, omnium prædicatione major eſt & excellētior. Cum enim peccatis huc uſque irretitus fuerat homo, ab iisdem eorundemque reatu in ipsius Dei conſpectu abſolvitur *Pſ. XXXII. 5. Ief. I. 18. Luc. XVIII. 14.* ita plane, ut in profundam maris abyſſum proiecta *Mich. VII. 19.* videantur, Deusque eorum aternum non recordetur *Ezech. XVIII. 21. 22.* Cum ſpiritualiter mortuus erat, in vitam ſpiritualem reducitur *Eph. II. 15.* & ab omni mortis imperio defenſus *Job. VIII. 51.* aterna vita jura recuperat *Job. III. 36.* mortemque temporalem ad illam vitam tranſitum ſibi factum eſſe novit *Job. V. 24. XI. 25. 26.* Cum ſatana fuerat haec tenus mancipium, qui eum ſub potestate preſſit, jam ab illius imperio in libertatem afferit *Col. I. 13. Hebr. II. 14. 15.* ut non ſolum contra eum certa victoria ſpe arma capereſſe *Eph. VI. II. 12. 16.* ſed & eundem pedibus conculcare poſſit *Rom. XVI. 20.*

Cum

Cum haec tenuis ira divina filius dicebatur *Eph. II.3.*, *Job. III.36.* jam in gratia fœdus, cum summo Dei omniumque Angelorum tripudio *Luc. XV.6.7.10.* recipitur, & ab omni legis fulmine *Gal. III.13.*, & damnationis tonitru *Rom. VIII.1.* immunis redditur, ut pacem in conscientia amoenissimam summo cum animi refrigerio sentiat *Rom. V.1.* *VIII.15.* & hanc plenissimam *Rom. VIII.31.35.* prorsus gratuitam *Eph. II.5.8.* *Rom. III.24.* *Gal. H.16.* *III.6.* unicam *Ad. IV.12.* *XVI.30.31.* certissimam *Rom. VIII.38.seq.* justificationem laudibus satis evehere non possit. Magnus huic utilitati accedit cumulus, cum vere poenitens in filium Dei adoptatur *Job. I.12.* *1 Job. III.1.* & particeps omnium bonorum spiritualium & eternorum constituitur *Rom. VIII.16.17.* *Gal. III.26.* *Eph. I.5.* Immo ne hic quidem hominis poenitentis Beatitudo finitur, qui tanta unione Deo unirino conjugitur, ut tota S. S. Trinitas non solum sua operatione gratiaque bonis, sed & ipsa Essentia & Substantia ipsum inhabitet *Job XIV.23.* *Eph. III.17.* Quis vero eam poenitentiam commodorum esse feracissimam abnueret, quæ hominem Dei Templum constituit *1 Cor. III.16.* *VI.19.* *2 Cor. VI.16.* cum Christo despontat *Hos. II.19.20.* eumque ipsi tam arcto combinat vinculo, quam arcto conjuncta sunt membra capiti *Eph. I.22.23.* & palmites viti *Job. XV.4.sq.*

## §. VII.

Ne etiam quis sanctissimam hanc solaminisque plenam de genuina poenitentia & hanc sequuta gratuita justificatione doctrinam in sensum perversum & reprobum detorqueat, seque ipsum vana fidei persuasione, turpissime & cum eterno animæ exitio, decipiatur, sed potius, quantum distent æra lupinis, discernere rite justique dijudicare queat; Fide vera non instructum esse docet Religio Evangelica, qui peccatorum adhuc voluptate trahi-

tur, & non potius omni nisu, viribus in regeneratione impertratis adjutus in bonorum operum exercitio versatur: Ea hamque fides est indole, ut corda hominum impura purificare incipiat, simulac justitia Christi donata fuerint, *A&t. XV.9.* memor hominem justificatum a Deo ad sanctitatem electum *Eph. I. 4.* & ad bona opera per Christum creatum esse *Eph. II. 10.* adeoque, ceu bona arbor, bonos propullulare facit fructus *Matth. VII. 17.* & ex bono cordis justificati thesauro bona profert *Luc. VI. 45.* illiusque consilia, curas, & cogitationes eo flectit, ut, in bonorum operum studio solers inveniatur *Tit. III. 8.* In mentem homini revocat, Christum ideo pro omnibus mortuum non ut satanæ, non ut mundo *Tit. II. 12.* non ut sibi, sed ut servatori suo vivat *2 Cor. V. 15.* & Deo serviant in justitia *Luc. I. 74. 75.* periculi plenam esse per peccata proæterica ex statu gratia prolapsionem *Rom. VIII. 13.* *2 Pet. II. 20.* immo omnem fidem in renovatione absque operibus emortuam esse & vanidam *Jac. II. 26.* Quam ob causam vera fides summo conamine omnia, quæ novit esse peccata, devitat, indolem peccatis assuetam magis magisque exuit, hominemque gratia divina auxiliis expeditorem robustioremque reddit, ut in regia voluntatis divina via progredi, omne scandalum evitare *Rom. XIV. 13.* *1 Cor. VIII. 12. 13.* seque aliis bonorum operum exemplar præbere possit *i Theff. I. 6. seq.* *Tit. II. 7. 8.* & eo arguento se ipsum probare queat, num vera fide sit prædictus, adeoque in gratia divina adhuc versetur stadio *i Job. III. 6. 23. 24.* *IV. 12. 13. 16.*

### §. VIII.

Virtutem denique ipsam ea utilitate circumdatam esse Gentilium Philosophi præstantissimi agnoverunt, ut in ejus exercitio summum in terris bonum posuerint,

&amp;

& nihil ad veram felicitatem consequendam efficacius esse pronuntiaverint, quam virtutem amare vitiumque odisse. Sed imperfectam admodum Gentilium de virtute doctrinam esse cui ignotum? Multo felicior Nostra Religio, quæ perfectissimam de virtute doctrinam ex Scriptura sacra exhibit. Eadem namque decalogum omnibus numeris absolutam, moralia actionum omnium normam proponit, ad quam omnem vitæ innocentiam morumque integritatem strictissime metitur, ne homines, quæ sibi bona videntur, exsecuti *Num. XV. 39.* in contraria currant, Numiniisque vindictam in se derivent. Unicuique suadet & quemlibet hortatur, ut non solum peccatum sed & omnes ejus perpetrandi occasionses evite *Sir. XIX. 18.* *XXI. 2.* Non solum externam virtutis exercitationem serio nobis in jungit *Matth. V. 16.* *Rom. VI. 12. 13.* *XII. 1.* sed & voluntatem ad internos animi motus vitiosos compescendos *Rom. XII. 2.* *Cor. VII. 1.* &, quoad ejus fieri possit, prorsus exterminandos: *1 Pet. II. 11.* efficacissime mover, immo & media saluberrima prescribit: Adminicula quidem & subsidia ex ratione desumpta non plane repudiat, sed iis etiam quandoque uitit, dum faces stimulosque animo ad virtutem addit, sed quoniam ea manca esse cognoscit, vires prorsus supernaturales atque divinas homini *Ezech. XI. 19.* *Eph. III. 15. 16.* *Phil. II. 13.* *Hebr. XIII. 20. 21.* ad veram vitæ sanctimoniam sectandam monstrat. Immo ne perfecta virtutis exempla in regia hac via incedenti desint, non solum ad vestigia virorum, qui Dei astimio sanctitatis celebritatem sunt consequuti, sequenda *Phil. III. 17.* *1 Thess. I. 7.* *2 Thess. III. 9.* *1 Tim. IV. 12.* homines instigat, sed exemplar ipsius Jesu Christi, omnibus numeris absolutissimum, oculis nostris sicut, & ut ejus insistamus vestigiis, serio nos cohortatur, &

sua-

suavissime alleqtat *Job. XIII. 15. Eph. V. 2. 1 Pet. II. 21.* Quid? quod ipsam essentialē Numinis sanctitatem, summamq; puritatem, misericordiam & perfectionem, speculum harum virtutum nobis exhibeat *Lev. XI. 44. XIX. 2. XX. 7. 1 Pet. I. 16. Luc. VI. 36. Matth. V. 48.* Verum quoq; sanctimoniaz fontem, primamq; scaturiginem non reticet, sed eam fidem in Christum prævia scriptura sacra, constituit *Tit. I. 15. Hebr. XI. 4. 6.* genuinum & primarium virtutis christianæ finem ingenue non nisi gloriam Dei esse profitetur *i. Cor. X. 31. Phil. I. 11.* omnesque bonas actiones promptissime summaque voluntatis propensione exsequendas esse, suis aseclis præcipit, & hac purissima de virtute christiana doctrina hominis inducit animum ad omnia ea præstantia, quæ Deo hominibusque *Prov. III. 3. 4.* non placere non possunt.

### §. IX.

Quantam utilitatem veræ virtutis studium alumnis suis afferat, multis jam probare haud difficile foret. Sed brevitatis amore, e virtutum chorō humilitatem tantum in scenam prodire, ejusque non nulla comoda ad oculum paucis demonstrare placet. Quantum detrimenti arrogantia superbo homini attrahit *Prov. XI. 2. XXIX. 23. Hos. V. 5.* tantum contra ea gratiæ demissus & humili homo apud Deum hominesque init, eorundemque favorem & beneficia cumulate in se derivat *Luc. I. 52. 1 Pet. V. 5. Jas. IV. 16. Judith. IX. 16.* Non potest autem non humilitati esse deditus omniq; superbiæ e vestigio nuntium mittere, qui Evangelica Religionis asserta amplectitur, eademque vita sua exprimere conatus, hoc ipso multæ se & temporalis & spiritualis prosperitatis facere compotem. In Deum superbire, & inflato esse animo nequit, quem profitetur, non nisi immensa misericordia motum se vi-

in-

infinita ex summa, qua submersus erat, miseria eripuisse, immerentem quam plurimis beneficiis ornasse *Luc. XVIII. 13. Iac. V. 10.* Submisse insuper & valde tenuiter de se ipso sentire tenetur, dum in animum sibi revocat, quod Numini benignissimo, salutisque suæ studiosissimo, pro tanta beneficiorum abundantia, tantisque gratiæ dicitur nihil plane grati acceptique aut præstiterit, aut præstare fætem possit *1 Par. XXX. 14. Rom. XI. 35.* nisi ad quod præstandum ipse primus & solus vires sufficientes largiter concederit *Phil. II. 13.* tantumque abest, ut operum merita crepare, iisdemque coram Deo cristas erigere possit homo in Evangelica Religione institutus, ut potius humilitatis observantissimum foveat animum, suæ videlicet imbecillitatis optime conscius, quod etiam post impenetrata Deo justificationem labore originali impeditus *Rom. VII. 20. 21. Gal. V. 17. Hebr. XII. 1.* stabilem atque in offensum pietatis cursum perpetuo non retineat, legemque divinam adeo non perfecte impleat, ut potius sape ab ejusdem norma, vel cogitatione, vel verbis, vel factis deflectat *1 Joh. I. 8. Sir. XXVII. 9.* adeoque humillime ad fulgentissimum Majestatis divinæ Thronum prostratus, sacra mentis submissione profitetur, omnia sua opera, si Deus secundum justitiæ legisque rigorem secum agere vellet, peccata potius, quam bona opera dicenda esse, *Ez. LXIV. 6.* pœnamque, non mercedem & præmium præmereri.

## §. X.

Alios itidem homines alto supercilium spernere, eoque in illorum odium incurrere, nequit Evangelicæ Religionis amator. Quos enim in eadem Ecclesiæ societate secum vivere cernit Christianos, fraterno amore, omnem fastum respuente, prosequi tenetur, *1 Joh. III. 16.* intimam cum ipsis

C

con-

concordiam alere, & Spiritus sancti vinculo ipsis combinatus vivere jubetur *Job. XVII. 11. 21. Epb. IV. 2.3.15.* cui superbiam e diametro esse contrariam non ignorat. Aliis potius quam sibi in pietatis studio placet, virtutumque suarum adeo non est praece & tubicen, ut se aliis inferiore & existimet, & pronuntiet, charitatis consuetudine adductus & humanitatis lege compulsus. Non modo autem erga fidei socios, sed alios quoque sese humilem exhibet, nec arrogantia sibi reddit infensos, nec ad damna sibi inferenda turgido spiritu provocat, sed amore & misericordia amplectitur, amabili in eos est comitate, humanitate & submissione, Deumque calidissimis invocat precibus, ut eorundem quoq; misereatur & eos in rectam salutis viam reducat.

## §. XI.

Quemlibet, qui sub Iesu Christi signis stipendia facit, hostes experiri spirituales, eosque fortissimos, in propagulo est. Utilem igitur istam Religionem esse oportet, qua & hostes callidos dignoscere doceat, eorum impetus fistendi arma praebet, structasque eorum multa calliditate insidias, tam feliciter, tamque secure declinandi rationem suppeditat, ut non solum certa victoriae spes, animum strenue depugnantem demulcent, sed & ipsa tandem victoria certamen comitetur, & prælio gloriosum exitum imponat. Nostra vero Doctrina hostes ejusmodi, quos satanam *Epb. VI. 12. 1 Petr. V. 8. Apoc. XII. 17.* Mundum *Job. XV. 18. seqq. XVI. 2.* & depravatam naturæ nostræ indolem *Rom. VII. 14. seqq. Gal. V. 17.* esse constat, tam luculenter eorundemque & impudentiam, & murum, quam fovent, conspirationem, & insidias fraudulentas, & impetus *Luc. XII. 24. seqq.* tam perspicue, tam accurate, tam diligenter sua Religionis homini indicat, eosque

que devitandi rationem commonstrat *Matth. XXVI. 41.*  
*1 Pet. I. 13.* arma tam fortia, tam sufficientia, tam invicta  
& plane divina subministrat *2 Cor. X. 3. 4. Eph. VI. 10. seqq.*  
*Matth. IV. 4. 7. 10.* eorundemque usum tam felicissimum  
ostendit, victoriāque tandem certissimam non solum  
sperare, sed & reportarē docet *Rom. XVI. 20. Eph. VI. II. 16.*  
*Jac. IV. 7. Apoc. XII. 8. 10.* ut nulla Religio ipsi hac etiam  
in parte palmam dubiam reddere possit.

## §. XII.

Hominum in hac terra degentium, vitam multis mo-  
lestiis miseriisque plenissimam, nec ab iisdem, qui veræ  
pietati sedulam nāvānt operam, immunes, sed variis quo-  
que calamitatibus expositos esse, & a perverſā impiorum  
caterva undique vexari, Sacra Scriptura non uno in loco  
testatur: vide *Aet. XVI. 20. 1 Theſſ. III. 4. 2 Tim. 12. Ps.*  
*X. 15 LIX. 15. Sap. II. 10 seqq.* Nec tamen his ipsis, quas  
Deus cultoribus suis vel destinat, vel inferre permittit,  
afflictionibus felicitas Christianorum deterior efficitur,  
eorundemque quam percipiunt utilitati tantum abeſt, ut  
aliquid detrahatur, ut potius multa inde ſibi & promi-  
ttere poſſint, & revera experiantur commoda, ad quæ  
consequenda Religio Evangelica ſuos optimis instruit me-  
diis. Dolorem enim omnem patientia lubentique ani-  
mo perferendum *Hebr. XII. 1. Sir. II. 1.* & citissimi auxiliū ſpe  
temperandum eſſe ſuadet *Rom. V. 2. 3. seqq.* Anxietatem, qua  
in p̄fenti misericordiarum valle *Ps. LXXXIV. 7.* coarctantur,  
non poenam eſſe a vindicis ira inflictam, ſed caſtigationem  
paternam *Ps. LXXXIX. 33. seqq. Prov. III. 12. Hebr. XII. 6. 7.*  
*1 Pet. IV. 19. Apoc. III. 19.* non parum utilitatis *Rom. VIII. 28.*  
*1 Cor. XI. 32. Hebr. XII. 10.* ſecum ferentem testatur. Adeo-  
que ferre malunt, quod eleganter AUGUSTINUS mo-  
net, *Patrem erudientem, ut judicem punientem ſentire co-*  
*gantur Tom. IX. Tr. XII. de cap. III. Johannis p. 113. &*

codem suasore AUGUSTINO, afflictionem suam medicinam, non paenam: castigationem non damnationem esse norunt, nec repellunt flagellum, ne repellantur ab hereditate Tom. IX. in Ps. CII. p. 1166 Cum enim veræ Ecclesiæ Evangelicæ addicti optime norunt, Deum pios tribulationibus immisso probare Prov. XVII. 3. Sir. XXVII. 6. cur illud probationis medium detrectarent? Calamitate attritos crucisque pondere pressos Deum ejusque verbum eo solerter attendere edocti sunt: Ef. XXVI. 16. XXVIII. 19. Cur suum ad Deum desiderium accendi, suumque in verbo Dei scrutinium studiumque inflamari, non exoptarent? Plagas, a Deo fidelibus paterno amore infictas, Dei preceptis nos assuefacere Ps. CXIX. 71. peccandi occasionem nobis eripere Hos. XIII. 6. 1 Cor. XI. 32. 2 Cor. XII. 7. 1 Pet. IV. 1. optime norunt; Cur hos peccandi obices pietatisque incitamenta quieto animo non admitterent? Deum onus illud non solum imposuisse, sed illud etiam mitigare 1 Cor. X. 13. Prov. X. 3. certam temporis metam ejus portandi destinasse: Ef. LIV. 7. 8. Apoe. II. 19. & facilis negotio, cum ipso visum fuerit, suos ab hoc onere liberare posse Ps. XXXVII. 33. XCI. 14. 15. 2 Pet. II. 9. non ignorant, cur ipsi omnem ejus rei gerendæ curam non permitterent? Idem humillime confitentur, se peccatis suis non saltem has castigationes paternas, sed poenas irati judicis atrocissimas promeruisse: Jer. II. 19. Jer. XIX. 14. 15. Thren. III. 42. cur patienti tranquilloque non essent animo? Pios ad unum omnes hanc crucis viam fuisse ingressos 2 Tim. III. 12. 1 Pet. IV. 12. immo & Christum Antesignanum agmen duxisse Hebr. XII. 2. inficiari nequeunt, cur sanctissima hæc vestigia non premerent? Æterna pios crucis ardore delassatos gaudia manere & præmia cum his calamitatibus ne quidem conferenda Rom. VIII. 18.

2 Cor.

*2 Cor. IV. 17. Act. XIV. 22.* norunt; cur non omnem ex animo dolorem pellerent, & lætitia in ipsis angustiis non perfundenterent? *Matth. V. 10. sqq. Rom. V. 3. 1. Pet. IV. 13.*

§. XIII.

Nec minor est utilitas, qua homo Evangelicæ Doctrinæ affeclia fruitur, edocitus, quantum preces apud Deum pondus habeant. Ipse met nullis propriis meritis innixus *Dan. IX. 18.* sed gratia Dei *Pf. LXXIX. 8. 9.* suffulatus, & merito Iesu Christi fretus *Job. XVII. 23. 24.* aper-tissimum Patris sibi plenissime reconciliati finum, *Job. XVI. 26. 27. Rom. VIII. 14. 15. Eph. III. 12.* adire potest. Novit præterea omnes, quas corde contrito *Pf. LI. 19. Joel. II. 13.* certa spē & fiduciā *1 Tim. II. 8. 1 Job. V. 10. Jac. I. 6.* fundit preces, easdēmque omnibus locis *1 Tim. II. 8.* omni tempore *Eph. VI. 18. Luc. XIII. 1.* in omni periculo *Pf. XLII. 3.* ad Deum transmissas per æterni Mediatoris & Spiritus Sancti intercessionem *Rom. VIII. 34. 1 Job. II. 1. Rom. VIII. 21.* Deo gratas esse atque acceptas, ita quidem, ut non possit non iisdēm annuere *Rom. VIII. 32.* atque aut ea suppeditare quæ expedita sunt; aut, quia spē quid nobis profit ignari inconsiderate perimus *Cobel. VII. 1. Matth. XX. 22. Marc. X. 38. Jac. IV. 2. 3.* iis meliora largiri *Matth. VII. 9.*

§. XIV.

Tam lārga penū multiplicis utilitatis abundātiām, in cives suos effundit Religio Evangelica, ut non solum eos præsenti & hactenus commemorata beef felicitate, sed etiam æternæ beatitudinis spem atque fiduciam certissimam in eorum accendat animis, qua firmissime sustentari queunt. *Vigeat enim, ut olim teste CYPRIANO in Ecclesia antiqua,* apud nos spēi robur. *¶* *S* firmitas fidei *¶* *S* inter ipsas seculi ruinas erēcta mens est; *¶* *S* immobilis virtus, *¶*

nunquam non leta patientia & de Deo suo semper anima secura. Libro ad Demitrianum p. m. 193. Compertum scilicet habet & exploratum Evangelica Ecclesiae civis, eadem esse prorsus salutis principia & media, quæ antea fuerunt justificationis; hæc vero cum fuerint universalia, immota, sufficientissima, divina, cuique oblata, & ubi vis obvia vid. *Supra* §. 4. nihil ipsi testatus est & evidentius, quam quod spes his innixa plane falli nequeat, nec fallere possit. Neque vel de potestate, vel de voluntate, vel de promissionibus Dei ullus animum torquere potest scrupulus. Qui enim potuit, rebellem & inimicum diligere Rom. V. 8. 10. cur servum obedientem Rom. VI. 22. amicum Job. XV. 14. 15. filium Gal. III. 26. hæredem & cohæredem Rom. VIII. 17. odio prosequetur? Qui æternus Job. I. 1. & immortalis 1 Job. I. 1. 2. V. 20. vitam pro nobis fundere potuit, cur nobis vita spirituali jam restitutis vitam æternam reddere non posset? Qui toties repulsus Matth. XXII. 37. gratia sua efficaci oblatione redire potuit Jer. III. 12. Apoc. III. 20. cur eandem non conservaret? Qui voluntatem ac desiderium suum humanæ salutis tot testimoniois, tot exemplis, tot asseverationibua, immo ipso juramento homini testatum fecit, nonne de seria ejus intentione ambigere insanum plane esset & iniquum? Qui semper sterit promissis, & ipsa veritas essentialis est, qua fronte de promissionum ab ipso factarum complemento quis dubitare posset? Gratia media etiam si intueatur homo puram Evangelii doctrinam amplexus, eandem salutis fiduciam certo sibi polliceri potest. Recordatur se in baptismate æternum cum Deo foedus pepigisse, quod cum a Dei parte in hac vita immotum semper subsistat 1 Pet. III. 21. Rom. XI. 29. III. 3. 2 Tim. II. 13. sibi, si vel ipse peccatis suis illud freget, ad idem tamen per seriam poenitentiam redditum patere

tere *Jer. III. 12.* Haud ignorat salvificum Evangelii verbum cum efficacia fidei esse coniunctum *Rom. X. 8. 17.* *Job. XVII. 20.* eandemque fidem, si peccati malitia excussa fuerit, beneficio doctrinæ de gratuita peccatorum per & propter Christi meritum remissione iterum recuperari posse. Corpore & sanguine Christi, Fidei robore, gratia sigillo, resurrectionis testimonio & vita æternæ pignore, toties quoties desiderat, uti potest, cur certa salutis fiducia animum tenere non posset? Diaboli impetus, vana mundi persuasio & illecebra, propria imbecillitas nihil quicquam de hac certitudine detrahere possunt, eo, quod non propriis viribus, sed divinis gratia superabundantis auxiliis unice superstructa acquiescit. Deus hominem sub potestate satanæ constitutum, tanto pretio, tanto desiderio, tanto conamine eripere cupit, num erectum fibique vindicatum tueri non posset? Si cœcus homo & mundi voluptatibus irretitus, feliciter iis per gratiam Dei explicatus fuit, num liber factus, num a spiritu sancto ductus, iisdem, nisi propria contumacia, penitus succumbet? Qui e morte spirituali in vitam revocatus fuit, num ille vivus, viribus divinis instructus, immo cum ipsa vita unitus, æterna morte, nisi ipse sponte sua velit, periret? Infirmus si est & imbecillus, gratiam divinam in se esse efficacissimam *2 Cor. XII. 9* nec quemquam infirmum unquam repulsum fuisse, sed potius a Deo suscepturn & confirmatum *Ef. XLII. 3. Rom. VIII. 26.* edocetur. Adeo Ecclesia Evangelica, fidelissima Mater, suos filios ab omni salute dubitatione & anxietate immunes reddit, ut eis, de ea habent, sub certissimo salutis periculo interdicat *Job. I. 6. 7.* Ex hac vero salutis certitudine nulla propullulat securitas carnalis, qua potius longissime ea ipsa removetur, sed animus potius redditur ad quævis

vis pro Christo perferenda promptus, ad quasvis virtutes exercendas paratus, in omni vita statu latus, in omni rerum conditione hilari, & sua forte plane contentus.

## § XV.

Quanta, quæsto, cum latitia, quanta cum animi præsentia, quanta cum mentis acquiescentia mortem non tantummodo exspectare, & exoptare, sed etiam experiiri potest, Evangelica Ecclesia qui nomen suum dedit *Pf. XLII. 2. 3. Rom. VII. 24. 2 Cor. V. 2. Phil. I. 23. III. 20.* Cum se in his terris peregrinum, & in itinere ad patriam cœlestem constitutum esse, haud nesciat, & cum omnibus sanctis profiteatur, cur e diversorio emigrare & ad patriam commigrare reformatidaret? *Gen. XLVII. 9. 1 Par. XXX. 15. Pf. XXXIX. 4. CXIX. 19. 2 Cor. V. 6. Hebr. XI. 13. XIII. 14.* Mortem in somnum suavissimum *Joh. XI. II. 13.*, analysin absolutissimam *Luc. II. 29.* & in vitam ingressum latissimum *Joh. V. 24.* a Christo commutatam esse sciebat, cur mortis metu terneretur, aut ejus approximatione angeretur? vitam concatenata miseriarum serie molestam & acerbam esse experiebatur *Ez. LVII. 1. 2. XXVI. 20. Joh. VII. 2. 3. XIV. 1.* cur omnes has acerbitates una beatæ mortis hora non separaret, vitamque mortalem cum immortali non commutaret? æquissimo itaque animo extremum edit spiritum, mortemque in beneficii parte numerat, qui eam, hostibus proculatis & victoria reportata, ad æternos triumphos agendos ingressum esse credit. Nulla mortis hora, homini aut nimis matura, aut formidolosa, aut acerba est, qui omnem vitæ mortisque suræ curam, Patri benignissimo, Domino potentissimo & sapientissimo se commisso, sequæ cum ipso arctissimo fædere combinatum esse, novit. Non dolet amicos post se relictos, sed semet eos

præire

præire gestit, Christumque sponsum se amplexurum esse  
lexatur. Opes, honores & voluptates, non solum vanas,  
sed saepius & peccaminosas esse, periculique plenis-  
simas, suæ Religionis dogmatibus edoctus, cur earum  
jacturam magni faceret, quam æternis bonis, summis ho-  
noribus, & perpetuis gaudiis compensatum iri non igno-  
rat? Cum in agone constituitur, non infirmatur, sed  
augetur, sed corroboratur Spiritus sancti testimonium,  
fideique fiducia, qua convincitur, se certissime ex electo-  
rum esse numero, animamque tanto Patris amore affe-  
ctam, tanto Redemptoris pretio redemptam, tanta Spi-  
ritus sancti gratia sanctificatam, eo ipso temporis arti-  
culo confessim in beatorum societatem, arctioreaque  
cum Deo communionem ab angelis transportari, tandem-  
que corpus ab angelis fideliter custoditum omni satanæ  
ludibrio defensum e sepulchro revocatum, gloria indutum  
& immortalitate donatum, anima in resurrectionis die re-  
dunitum iri certissime persuasus, mortem suam damno-  
rum finem, summa utilitatis exordium, & consumma-  
tæ felicitatis initium esse, & existimat, & experitur ge-  
nuinus Ecclesiæ Evangelicæ Filius.

## §. XVI.

In doctrina de ritibus ecclesiasticis eorumdemque ob-  
servatione, neutquam sui rationem habere deprehen-  
ditur Ecclesia Evangelica, sed potius filiorum suorum hac  
in re commoditatî, utilitatî & libertati omni nisi pro-  
spicit. Probe enim, qui unam nobiscum tenet atque  
tuetur fidei doctrinam, intelligit, se ab omni omnino cæ-  
rimoniarum jugo, quod admodum grave in V. T. fide-  
lium humeris fuerat impositum Ad. XV. 16. liberatum &  
a Jesu Christo, per legis impletionem, in christianam liber-  
tatem assertum fuisse Gal. IV. 9. 10. V. 2. Col. II. 16. 17. Ab  
hac vero libertate tantum abest, ut Nostræ Religionis

D

affer-

assertis divellatur, & servitute quadam subigatur, ut potius Ecclesia nostra diserte moneat, omnes, quas circa Numinis cultum observamus, cærimonias, non esse mandata divina, nec per se, immediate & proxime habere vim conscientias obligandi, sed eas, vel ab universa, vel quandoque etiam a particulari Ecclesia liberrime institutas, & iterum liberrime, si absque scandal i metu fieri id queat, vel mutari, vel plane abrogari posse; non esse aliquam cultus divini partem, sed ideo esse observandas, ut cultus divinus internus iisdem excitetur, externus autem eo convenientiori ordine, eo meliori decore *1 Cor. XIV. 40.* & omni absque scandalō præstari possit. Qua de causa non habent cur de nimio rituum rigore, vel de numerosa eorum multitudine conquerantur homines in eccl̄o nostro degentes, si quidem cuilibet Ecclesiæ particulari eos libere & sine scandalō observandi libertatem concedimus, nec unquam ob rituum diversitatem fraternæ unionis vinculum abrumpimus juxta illud *dissontia jejunii non tollit consonantiam fidei: in Form. Concordiæ p. 616.* nullum plane conscientiis laqueum injicientes *1 Cor. VII. 35.* nec quemquam multa cærimoniarum observandarum copia vel obruentes, vel confundentes. In iis demum, quas Ecclesia nostra Evangelica observare decrevit, cærimoniis neutiquam vel suæ jurisdictioni, vel potestati amplificanda, sed adificationi, tranquillitati, ordinis, & scandalō avertendo est intenta. Itaque semper nostræ Ecclesiæ civis, quicunque demum is fuerit, in illis quæ ad ipsum cultum divinum pertinent, non ad ordinationes humanas, sed ad divina mandata adstringitur, non ad Ecclesiæ dictamina, sed ad Jesu Christi instituta alegatur, non externo cortice, sed interno nucleo enutritur, & simul, ne libertate sua abusus, fratres offendat, de

de genuino hujus usū sobrie instituitur *Rom. XIV. 1. seq.*  
*1 Cor. IX. 19. seqq. X. 27. seqq. Gal. V. 13.* Hanc suam li-  
bertatem, cum debita cautela, ut fratribus prospiciat, iisque  
scandalum non præbeat, uti in aliis, ita pariter in cul-  
tu publico, observandisque diebus festis, curate suis in-  
culcat. Deum equidem quotidie pientissimo cultu pro-  
sequitur, qui nomen suum dedit Nostræ Religioni, inter-  
ea tamen statutis quoque temporibus in conventibus fa-  
cias devoutam mentem publice testatur; *vid. Catech. maj.*  
*p. 424.* Sed ea tamen moderatione, ne Nostræ Religioni  
addictus, nimia feriarum apud nos institutione & cele-  
bratione in suis impediatur negotiis, sed temperamento  
quodam prudentissimo, suisque cultoribus valde utili no-  
stra utitur Ecclesia, ut omnem & excessum evitet, & de-  
fectum declinet, quo pacto & cultus publici frequenta-  
tioni & celebrationi, civilibusque pariter & domesticis  
negotiis, optime consultit, quæ posteriora, si divinam spe-  
cies cuiuscunque hominis vocationem, etiam sancta, Deo  
grata, & quibus benedictionis divinae particeps fiamus,  
media esse pronuntiat.

### §. XVII.

Hanc Evangelicæ Religionis confessoris felicitatem,  
una adhuc excipit utilitas, quam in omnium sine discri-  
mine ciborum usū experitur. Cum enim ciborum dis-  
crimina in N. T. sublata, & omnes cibos sanctificatos,  
atque nulla a Deo exceptione facta, libero fidelium usui  
destinatos esse intelligit *Mattib. XV. 17. 1 Tim. IV. 3. 1 Cor.*  
*VIII. 8. X. 25. Col. II. 20. 21.* hanc novi foederis felicitatem ci-  
vibus suis adeo non invidet, ut potius latabunda stabili-  
tat atque tueatur. Licet vero hac ratione Ecclesia nostra  
suis permittat cibos, a Deo hujus universi Creatore cre-  
atos, sine discrimine, omni tempore cum benedictione

28 DE UTILITATE EVANGELICÆ RELIG.

sumere ; neutiquam tamen jejunium rejicit omne, ut potius illud non solum permittat suis cultoribus, sed etiam quandoque suadeat, quo ad exercitia spiritualia eo sint aptiores *Joel. II. 12. Matth. XVII. 21. 1 Theff. V. 6. 1 Per. V. 8.* Quod si etiam sint quidam ejus filii qui a certo ciborum genere ad tempus quoddam abstinere vellent, & illud etiam ipsis integrum est atque concessum, dummodo aliis eandem, qua ipsi utuntur, libertatem non præcidant aut imminuant. §. XVIII.

Equidem filum dissertationis nostræ longius producere, insignem genuini Evangelicæ Religionis filii utilitatem confirmare, reliquaque duas sectiones subnectere, & in earum secunda, commoda, qua in tres status hierarchicos, in tertia vero, ea, qua in alios, qui diversam ab ea amplectuntur Religionem, ex nostra redundant Religione, ostendere mearum nunc esset partium; sed temporis angustia exclusus, aliisque, quaæ currenti remoram aliquam injecerunt, negotiis circumseptus, pari methodo elaboratas, a me luci publicæ, Tuæque, Lector Honorande, censura proxime expositum iri, fide certissima spondeo. Deum vero, summum illud totius generis humani bonum, & primum, unicum atque ultimum omnis omnino nostræ felicitatis fontem atque originem, ad magnificum immensæ ejus gratiæ thronum humillime devolutus, supplex veneror, velit pro inexhausta clementiæ atque bonitatis suæ profunditate omnes eo dirigere homines, ut, quid hac in parte e re sua sit, intelligent, nec, quam Religio Evangelica ipsis summa promptitudine offert felicitatem & multorum bonorum ubertatem, contemnant atque rejiciant.

SANCTE PATER, SANCTIFICA NOS IN VÉRITATE  
TUA, VERBUM TUUM EST VÉRITAS!



94 A 7376

ULB Halle  
003 263 55X

3



Retro

V077

III.50.



B.I.G.



9.14  
Q. D. B. V!

# RELIGIO EVANGELICA MAXIME EST UTILIS ET SALUTARIS,

ID QUOD  
DISSERTATIONE THEOLOGICA  
SUB PRÆSIDIO

DN. D. JOHANNIS SCHMIDI P.P.  
CONSISTORII ELECTORALIS ET DUCALIS ASSESSORIS,  
ALUMNORUM ELECTORAL. EPHORI, COLLEGII B. MARIE  
VIRGINIS PRÆPOSITI, ACADEMIÆ DECEMUIRI,  
EJUSDEMQUE UT ET NATIONIS PO-  
LONICÆ SENIORIS,

PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS  
SUBMISSO VENERATIONIS CULTU  
ÆTATEM PRÖSEQUENDI

IN ALMA LIPSIENSIMUM ACADEMIA  
DIE XV. OCTOBR. A.R.S. MDCCXXVI.  
ASSERTUM IBIT

A U T O R  
DAVID BENJAMIN BRESKOTT,  
BEROLST. SIL. SS. THEOL. CULT.

---

L I P S I A E,  
LITERIS BREITKOPFFIANIS.